



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quae sit Ecclesiae satisfactio secundum canones, & olim fuerit in vsu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

nisi qui & ipse secundum Euangelium satisfaciat proximo suo. Exigit enim Deus satisfactionem à te erga proximum tuum, & illam docet Euangelium & Scriptura, vt Matth. 5. Vade reconciliari proximo tuo. Item restituere res alienas quas occupamus. Exo. 20. Non furtum facies. Item restituere famam: ibidem, Non falsum testimonium dices contra proximum tuum. Luc. 6. Remittite, & remittetur vobis: date, &c. Item Rom. 13. Nihil quicquam debeatis, nisi vt inuicem vos diligatis Et Matt. 7. Quod vultis vt vobis faciant homines, hoc & vos facite illis. Igitur Euangelium vbiq; ad huiusmodi satisfactionem proximi nos obligat, & illam sic exigit Christus, vt suam satisfactionem coram Deo patre non distribuat nobis, nisi & nos proximo satisfecerimus.

Porro satisfactio quæ est erga Deum, creditur: quæ est erga proximum, necessario exigitur ad salutem. Rursus supra dicta satisfactio exigitur à iam iustificatis & fidelibus per fidem Christi: igitur non satisfacit pro peccatis coram Deo ad abolendam culpam & pœnam æternam. Hoc Christi morti solum debetur, sed tamen valet ad mitigandas pœnas temporarias, quas Deus infligere solet, vt famem, bellum, pestilentiam, incendium, morbum, &c. Deinde est dispositio ad accipiendum Christi satisfactionem, vt efficax in nobis sit ex gratia. Nam tametsi Fides accipit Christi beneficium, fides tamen vera non est, nec Christi beneficium est efficax, si non aderit & nostra satisfactio erga proximum, atq; pœnitentia.

Est quædam satisfactio coram Ecclesia, qua olim famosi peccatores non recipiebantur in Ecclesiam sine publica castigatione, quam castigationem vocabant Patres satisfactionem. Accesserunt & canones Patrum, quibus pro vno peccato septennis pœnitentia imponebatur, & minus & supra: Et sic publicæ spectacula pœnitentiæ, fuerunt externa quædam

3.

dam

dā disciplina, qua cohibebantur & probabantur peccatores, num verè pœniterent, ac cæteri à peccatis terrentur. Non autem putarunt Patres eo ritu ac publica pœnitētia mereri remissionem culpæ, ac pœnarum æternarum liberationem: hoc semper transtulerunt in Christum ac eius mortem, attamen ad mitigationem pœnarum temporalium, ad coërcendam carnem, vt in posterum minùs peccarent, & ad alios multos fines, præterquàm quòd esset precium pro peccatis, obseruata fuit. Insuper quòd nostra pœnitentia operum mitigare possit iram Dei, hoc testatur scriptura vbiq; vt satisfactio Niniuitarū Ionę 3. Exemplum regis Ezechie, cui adijciuntur 15. anni, Esa. 38. & 2. Reg 12. Dauid propria sententia fuit filius mortis: sed ad verbum, Peccaui, audit à Propheta, Transulit Dominus peccatum tuum. Et 1. Cor. 11. Si nos ipsos iudicaremus, non iudicaremur à Domino. Ergo pœnę peccatorum temporales, quas pro peccatis meremur, non dico de illis pœnis, naturaliter propter peccatum nobis agnatis, vt mors, fames, &c. sed de his, quæ peccatis actualibus meruimus, non ex origine contraximus, mitigantur nostra satisfactione operum in hac vita. Nam propter orationes, ieiunia, elemosynas ac similia bona opera, immò propter vnum bonum hominem & sanctum, Deus parcat toti ciuitati: sicut volebat propter decem viros parcere ciuitatibus Sodomorum, Gen. 18. Deus mitigat iram, & donat plura bona temporalia & spiritualia, sicut etiam punitur mundus propter libidines, idololatriam, comessationes, & transgressiones Diuinorum præceptorum in tertiam & quartam generationem, Exod. 20. Et quoniam pœnę Purgatorij etiam sunt temporales, & non æternę: ideo credit vniuersalis Ecclesia, operibus viuentium tales iuuari posse, ac mitigari illorum pœnas, tandemq; liberari; eò quòd hoc nullibi in scriptura est prohibitum: & Christus ipse dicit

dicit
vel in
lo ren
5. Et
oret,
tum,
mitte
Et ill
tamen
ribus
ctione
re can
rum &
nus po
num,
in tot
abusu
est con
genda
quæ ne
sint &
lob, Pa
nes vel
pœnis
claves
oration
net Ecc
Dei faci
nam &
nam m
deindè
mortem
sentes,
quarta
lijs ob p
solum i

dicit quòd aliquod peccatum sit, scilicet infidelitatis vel impœnitentię, quod neq; hîc, neq; in futuro seculo remittetur, Matt. 12. Sicut Apostolus dicit 1. Ioan. 5. Est peccatum ad mortem, non dico vt quis pro illo oret, &c. Ergo concludit Ecclesia, esse aliquod peccatum, id est, pœnam tēporalem quam Deus statuit remittere, & non æternaliter reseruare, sicut infideliū. Et illa pœna peccati, quæ infertur in Purgatorio, est tamen temporalis, & remittitur orationibus & operibus viuentium, sed culpam solus Deus sua satisfactione remittit, Possunt quoq; clauēs Ecclesię soluere canones, qui exigunt satisfactionem aliquot annorum & dierum, sicut cū indulgentias facit Romanus pontifex: qui canones & indulgentię satisfactionum, quandò constat eas multis salubres fuisse, non in totum sunt reiiciendę, modò amputetur auaritię abusus, &c. Nulla ergo prædictarum satisfactionum est contemnenda, sed distinctè & suo ordine intelligenda, etiam de sanctorum pœnis & afflictionibus, quæ non ob peccatum imponuntur, sed vt illis crux sint & exercitium ad coronam & præmium, sicut in Iob, Paulo, Tobia, &c. hîc non vtuntur suo iure canones vel clauēs, &c. hoc totum Deo relinquitur, sed de pœnis temporarijs & ab hominibus impositis, valēt clauēs &c. & ad purgandos in Purgatorio per modū orationis, suffragij, non autoritate Romana, vt tenet Eccl. &c. Insuper omne peccatum contrā legem Dei factum, duplicem meretur pœnam, nempe æternam & temporalem, sicut peccatum Adę æternā pœnam meruit, id est, damnationem post hanc vitam, deindè temporalem, id est, infirmitatem corporis, mortem, laborem & sudorem in terra. maledictionē, sentes, tribulos, Genes. 3. & Exod. 20. in tertiam & quartam generationem minatur vindictam Deus filijs ob peccata parentum, quod de temporali pœna solū intelligitur, modò aliās in Christum credunt. Sic

3.

Sic 1. Cor. 5. luxuriosus traditur Sathane, quoad temporalem pœnam &c. At Christus suo sanguine liberavit omnes credentes de æterna pœna, id est, culpa, non autem ab omni temporaria pœna, infirmitatibus, angustijs, tribulationibus, morte, &c. Sed illa mitigari & extingui possunt nostris orationibus, ieiunijs, laboribus, sicut patet de Niniuitis, Ionæ. 3. Et ad illum etiam finem excogitati sunt canones pœnitentiales, ubi Ecclesia tanquam pia mater præuenit iram Dei, quoad temporarias pœnas: item eò conducunt indulgentiæ. Sed ab æterna pœna & culpa solū Christi meritum saluat.

CAPVT XXXII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit Christum induere.*
2. *Quando contingit illa induitio Christi.*
3. *Quid sequi debeat illam induitionem Christi.*



Postolus in epist. ad Roma. docet nos Christum induere debere, vt cap. 13. Induimini Dominū nostrum Iesum Christum. Est autem Christum induere, nihil aliud, nisi effici participem bonorum Christi ac communicari. Et fit in Spiritu & fide, quādo anima sic acceptat Christi iustitiam, redemptionem, omnemque gratiam, vt verissimè & certissimè credam mihi cum filio omnia filij bona esse donata, & mea propria fore, sicut Apostolus Roman. 8. ait Qui dedit filium, quomodo non omnia cum filio? Nam hæc est propria & vera conditio fidei, vt quis certò credat & teneat, quòd omnia Christi, sua sunt, vt liberè dicere possit, Christi iustitia, redemptio, mors, resurrectio, mea sunt. Hæc enim Fides communicat omnia bona Christi. Sicut ergo homo vestimentum suum induit, & dicit esse suum proprium.